

1775,23.

Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
C V I
T H E S A V R V S I N F V N D O
A L I E N O I L L I C I T I S A R T I B V S
I N V E N T V S C E D A T

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. P V B L I C. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
DIE XII. AVGUST. ANNO C I S I O C C L X X V .
D E F E N D E T
G O T T L O B F R I D E R I C V S K R E Y S I G
LICHTEWALDEN.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

THEATRUS IN PANO
SACRAE THEATRUM
TACITUS
AD CICERON
HOMERI
HERMANN
SCHILLER
ADIPOLIS
GOTTSCHEAVER



C V I
THESAVRVS IN FVNDO
ALIENO ILLICITIS ARTIBVS
INVENTVS CEDAT



§. I.

Quamuis restituta Philosophia multum superstitionis depulit atque magnus ille recte sentiendi magister *Christianus THOMASIVS*, cui omnes orbis ob reformatio-
nes superstitionum haud minores deber grates, quam immortali LUTHERO Christi ecclesia, diu iam reformauit de ma-
gia illa daemonica deliria, vt hodie nec vetulas adaequatione stu-
pratas, nec magos naturae ordinem turbantes rogo impositos,
vaeh vesaniam! videas; nec tamen humana ratio omnis ita
haec tenus reformari potuit, vt antiquam illam Romanis non
minus ac aliis gentibus detestabilem artem daemonicam deri-
deret. Parum abest, quin et hodie multi ex sece populi
sibi persuadeant, posse, quod *Decemvirorum Lex Tab. VIII.*
coercuit et recte exposuit *IDSINGA* in *Variis Iur. Civil. cap.*
XVI. carminibus magicis frumenta adhuc excantari.

A 2

Quid

4

Quid mirum, cum priorum temporum superstitione earum rerum depositarum, quarum non extaret memoria, caca-
daemonis curae commendasset eundemque quasi oecumeni-
cum thesaurarum iam constituisset, adhuc hodie non desint,
qui sibi persuadent, damnatum et omni amplius potentia per
aeternum Seruatorem priuatum daemonem suae curae com-
mendatos habere thesauros atque eorum latissimam tenere
peritiam. Quid mirum, si credant, posse reiectum illum spi-
ritum certis verbis solennibus, quibus nullus inest sensus,
certis characteribus et signis per deliria excogitatis adeo coer-
ceri et in augustias redigi, ut, quo se lib ret, thesaurosof-
ferat. Evidenter nemo haec tenus, qui recte sapuit, sibi per-
suadere potuit, posse inania verba seu verborum sonos atque
in arenam pietas crepundias agere in spiritum omnis mate-
riae expertem; tamen experientia docuit, interdum esse,
qui diuitias antiquitus reconditas ope magicae artis sibi expe-
tunt. Oritur hinc quaestio, quid iuri conueniat, si artibus
his illicitis applicatis, casu contingat, ut quis thesaurum
inueniat, cui cedat.

§. II.

Incertum fuit olim ius, quod de thesauris agebat. Sic
Nero fisco omnem inuentum thesaurum adiudicauit, cum
Nerua eundem inuentori concederet. Imo, si in alieno in-
uentus, *Hadrianus* dimidium inuentori, teste *SPARTIANO* in
Vita Hadrian. cap. XVII. concessit, quod *THEODOSIVS* et
GRATIANVS immutarunt quadrantem domino relinquentes,
restitutum vero postea a *IVSTINIANO*. vid. *CVIACIVS Obs.*
IX. cap. 37. Patet vero, non ut rem plane nullius the-
saurum semper habitum, ut occupanti cederet, sed magis
accessionis iure iudicatum, ex quo venit dimidia domino
data

data in cuius fundo aliis casu thesaurum inuenierat. Neque interest, quis sit ille *alius*. Quare certe *Corn. van BYNKERSHOEK. Obseru. L. II. cap. IV.* et mercenario, qui fodiendo terram inuenierat thesaurum, quamquam alii dissentiant, diuidiam partem tribuit.

§. III.

Iam si fundo proprio thesauri quis siue casu, siue opera etiam adhibita, iam invenientur in *L. vnic. C. de thesaur.* inuentori thesaurum indecum cohedit. Solas operas improbandas et odiosas excipit Imperator, in verbis: *dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa thesaurum querere et inuenio uti.* Sed nihil dixit, cui vero, si malis artibus quae situs inueniatur thesaurus, cedat. Interpretes fisco tribuunt, argumentis *L. 5. C. de malef. et mathemat. et L. 9. π. de iure fisci.* Nihil quidem ad probandam causam facit *L. 5. cit.* At *L. 9.* argumentum continet, ex quo probabilis decisio videtur, in verbis: *eorum quae scelere acquista probari possunt, fisco competere posse.* Cum enim lex reprobat illas artes atque puniendas censeat, quibus thesaurus inuestigabatur, videtur scelere acquisitus, ut valeat conclusio, cedere eundem fisco.

§. IV.

At quid, si in alieno fundo data opera inueniatur thesaurus? Prohibet has operas inueniendo thesauro adhibitas Edictum LEONIS in *alleg. L. vnic. C. de thes.* Verba sunt: *In alienis vero terrulis nemo audeat inuitis, imo nec volentibus vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari.* Quia si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut praeter



ter huius legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus inuenierit, totum hoc locorum domino reddere compellatur: et velut temporator legis saluberrimae puniatur. Frustra itaque thesauri inuentor operas impenderat. Imo non sibi, sed fundi domino opes quaequierat. Neque contentus Imperator eo, quod premium inuentionis negauerat, sed adhuc puniendum censuerat.

§. V.

Non vero determinauit *sit*. L. quas prohibitas velit operas, vtrum legibus odiosas tantum, an vero omnes. Et verior videtur sententia, qua omnes operaे sive licitae, sive illicitae sunt, vno textu prohibentur. Sicut enim ipsa legis verba admodum generalia sunt et de perscrutatis abditis opibus dicunt, absurdum videtur, lege haud distinguente distinguere. Quapropter magis est, ut dicamus, sive licitis, sive illicitis et magicis artibus inuestigauerit thesaurum eumque inueniret, semper domino fundi acquiri et praeterea scrutatorem puniendum. Nec improbanda haec sententia, quippe, quod in alieno thesauros quaerit, cum in eo fodiendi quaerendique ius non habet, semper in illico versatur facto. Neque obstat, quod in alterius fundo, quovsque aditus prohibitus non est, res nullius possint occupari. Cum enim thesaurus simpliciter non ex iure rerum nullius ponderari potest, sed potius ex accessionis iure; sequitur occupationi locum esse non posse. Imo aliud est, repertam rem nullius occupare, aliud vero, rem quae ad rem principalem pertinet et quae ratione deponentis res nullius facta, in alieno fundo scrutari.

§. VI.



7

§. VI.

Sed cum supra probatum, fisco cedere thesaurum improbis artibus infundo proprio inuentum, quaerendum est, num fiscus, si malis et improbis artibus prohibitis repetiatur, saltem dimidiam fiscus capiat. Nam facile patet, improbas illas artes et magicos labores, nunquam posse inventionis causam continere. Fac citatis spiritibus formulis et characteribus, ut opes ferant; quis sibi persuadeat, tam obsequentes futuros illos daemones, ut desiderata apportent et largiantur. Si ergo inueniat supersticiosus ille daemonum implorator, inueniat necesse est solo casu fortuito. Quod si ergo casu fortuito inuentus sit, et leges tunc domino thesauri dimidiam tantum addicant, alteram inuentori tribuant, quid obstat, quominus dicamus, cum superstitione egisset inuentor, qui a demonibus opes expectasset, rete premio inuentoris cariturum, inque eius locum successurum fiscum. Sed saluares est. Non quidem negabo fisco puniendi ius, et quidni poenam mereatur, qui fanae rationi contrario agit, et prohibita media tanquam licita adhibet, cum plane media ad thesauros nulla adhibenda, ne licita quidem; at cum fisci causa odiosa videatur eaque magis restrin-genda, neque lex expresse fisco partis thesauri in alieno inuenti acquisitionem tribuat, rectius fisco dimidia neganda, integerque thesaurus fundi domino tribuendus.

§. VII.

Non vrgeo demum, quis verborum sit sensus IVR. PROV.
SAX. Lib. I. Art. XXXV. Schætze unter der Erde vergraben,
tiefer den ein Pflug -Schaar gehet, gehorren zur Koenigl. Ge-walt. Non enim inusitatum, plura sibi principes ex iure in
αδεωτα vindicasse, nec improbabile est, Speculatorum Sa-xonem



xonem forsitan haec principum iura in mente habuisse. Sed satis est, Electoralia nostra iura in CONST. ELECT. L. III. Part. II. interpretari eum textum tantum de metalli fodinis, et approbare Romana Iura de thesauris. Hinc rectissime et apud nos in fundo proprio inuentus malis artibus thesaurus fisco cedet. Contra vero, si quis magicis incantationibus vel daemonum auxilio sibi ficto in alieno thesaurum inuenit, solus dominus integrum thesaurum capiet, nec quidquam iuris fisco in illo thefauro competet. Iniustum enim foret, ut ob alterius delictum et superstitionem suo iure alter priuatur, qui ipse haud deliquit. Saluum vero est fisco, superstitionis illum daemonum vexatorem multa coercere, vel adeo pro qualitate circumpositorum causarum grauiori poena afficere. Neque ICti Saxones aliter sentire videntur, imo MENCKENIVS in *Theor. et Prax. Pandect. LXI Tit. I. §. XV.* probat, thesaurum domino in solidum addici, quamvis ab alio arte illicita veluti incantationibus usurpati, inuentus sit.



904


(leipzig) Diss., 1775 A/1



Sb

KD18

B.I.G.



Q V A E S T I O

I V R I S C O N T R O V E R S I

C V I

T H E S A V R V S I N F V N D O
A L I E N O I L L I C I T I S A R T I B V S
I N V E N T V S C E D A T

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E X I I. A V G V S T. A N N O C I I I C C L X X V.

D E F E N D E T

G O T T L O B F R I D E R I C V S K R E Y S I G

L I C H T E W A L D E N S.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

1775,23.

